



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Admonendus populus, cur feriae institutae. 9

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

populus, divina institutione admonitus, clementiam Dei exoret, quo pestes, clades, calamitates, fames, bella, & id generis adversa, quæ nobis iustissimo Dei iudicio ob peccata nostra infliguntur, ac sub id anni tempus, nempe Veris (quum bella emergere, atque terræ fructus, qui tum in flore atque teneri adhuc sunt, facile corrumpi solent) potissimum imminet, avertat & tollat. Ut autem Ecclesia fiduciam erga Deum (quam orantes ac petentes habere necesse est) tum in nobis adaugeat, Heliam proponit, hominem nobis similem & passibilem, qui oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex; & rursus oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Quod si solus Helias, petens, exauditus est, num Christus Ecclesiæ suæ preces averfabitur? Hic interim populus docendus est, quod non solum quæ animi, sed & quæ corporis & externa bona sunt, à Deo omnium autore postulare oporteat: & redarguendi illi, (haud ita multo, quam gentes, meliores,) qui vel fortunæ, vel suæ industriæ, bona temporaria accepta ferunt.

Jacob. ult.
3 Reg. 17.

CAP. VIII. *Processiones intra septa Ecclesiarum peragendæ.*

Quod Processiones per agros & campos peraguntur, rationem quidem habet; nempe quod populus oret, ut segetes ac fruges terræ à Domino conserventur. Verum, ut alia plurima, ita & hic mos, hominum malitiâ, depravatus est; quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur. Quamobrem Nobis fatius videtur, ut hæc aliæque supplicationes ac Processiones, de cætero intra septa Ecclesiarum religiose fiant, ac ut in templo, loco precatationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius, rei ac tempori conveniens, ad populum commonitorius sermo. Nostros tamen Suffraganeis liberum relinquimus, ut ipsi in suis Diocesisibus de hac re, uti mores regionis patientur, dispiciant.

Mar. II.

CAP. IX. *Admonendus populus, cur feriæ institutæ.*

Diligenter quoque populus admonendus est, cur feriæ, & potissimum dies Dominicus, qui à temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, institutæ sint. nempe, ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque Sacrum, & communicandum; breviter, ad vacandum Deo soli, ut dies illa tantum orationibus, Hymnis, Psalmis, & Canticis spiritualibus transigatur. Hoc enim est sanctificare sabbatum.

Apo. I.

Exodi 20.
Deut. 5.

CAP. X. *In feriis soli Deo vacandum.*

Quamobrem cupimus, hisce diebus prohiberi nundinas, claudi cauponas, vitari comestationes, ebrietates, sumptus, lites, lusus improbos, choreas plenas infantiis, colloquia prava, cantilenas turpes; breviter, omnem luxum. Nam hisce & quæ hæc fere semper consequuntur, blasphemias ac perjuryis, nomen Domini prophanatur, ac sabbatum (quod nos admonet, ut quiescamus perverse agere, & benefacere discamus) contaminatur.

Isa. I.

CAP. XI. *Dies dedicationis templi, extra Coloniam, uno die ubique celebrandus; & quomodo sit admonendus populus.*

Et, quum in diebus festis, qui dedicationi Ecclesiarum peculiariter dicati sunt, plerumque indigna committantur, adeo ut videatur populus tum potissimum comestationis caula convenire: visum Nobis est, ut per Dioceses Nostras, uno certo die anni, quo ejusmodi festum dedicationis in Metropolitana Nostra colitur, in reliquis quoque Ecclesiis omnibus, extra Civitatem Nostram Coloniam Agrippinam constitutis, observetur. Nam intra Coloniam summo Nostro templo suis honos constare debet; quod & in aliis oppidis insignioribus, ubi una cæteris Ecclesiis præeminet, obtinere placuerit; videlicet, ut ibi minores Ecclesiæ pridie ejus diei, qui dedicationi Ecclesiæ summæ jus loci consecratus est, aut die Dominico proximo præcedente, suas singulæ dedicationes celebrent, observetur. Docendus autem est populus, dedicatione templi significari dedicationem Ecclesiæ Catholicæ ac cujuslibet hominis Christiani, qua copulatur Deo. Nam, ut divus Augustinus ait: Quotiescunque templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, & sancte & iuste vivimus, quicquid in templis manu factis agitur, totum in nobis spirituali ædificatione completur. Non enim est mentitus ille, qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Et iterum: Nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti?

August.

I Cor. 3.

CAP. XII. *Cur Tempia & Altaria consecrentur.*

Ex vetustissima institutione & more receptum est, Tempia & Altaria, & pleraque alia, quibus in templis ad excitandum fidelium animos, & divinum cultum explendum, utimur, consecrari, solemnibusque precibus ac benedictionibus dedicari Deo. quod in veteri quidem Testamento præceptum etiam divinum

c. Sicut non alii. c. Missarum solemnias. c. Ecclesiar de cons. dist. I.